

1.  
1.  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
8.



1747.

1. Beckmann, Gualpriedas: De jure in aemulum regis  
vulgo prolatum duntaxat.
2. Estor, Francus Georgius: De poena capitali homi-  
cidis dolantis necessario infligenda.
3. Estor, Francus Georgius: De divorcio praesertim  
permarum diversae religionis Illustratum  
in Germania.
4. Francke, Joannes Jacobus: Anatomus uxores in  
Hannia nostra secundum § 38, 39 et 40 ord.  
proce. 7. a. 1745. dimidiam acquiescentiam laetetur  
et quatenus ad salubritatem aeris alieni ab-  
stinetur sint?
5. Hombergk gn Vach, Henric Ludov: De justitia  
arrestu a iudice resistitae contra forensium  
decretu. Programma, quo ad lectiones . . . invitatur.
6. Hombergk gn Vach, Henric Ludov: De foro resistitae  
ejusque amplius hinc appud veteris Germanos et  
de fundata in eodem per arrestum juris dictione  
generationem.

1747

7. König, Iohann Corotus: De substituti jure agendi  
ex transactione principis contra possessionem relictam  
Programma, quo practiceiones academiceas indicat
8. Seelig, Iohann Georgius: De revisione actorum  
propter denegatam restitutionem in integrum

1748

1. <sup>14. 5. 1748</sup> König, Iohann Georgius: De jurebus quibusdam  
viduarum matrumque equestrium ratione annu  
fundi vitalitii dotalitii & similibus
2. Hagen, Legimundus Gustichus, ab: De austracis  
Hamiacis
3. Hombergk qz Vack, Amil Ludov: De venditore  
vel locatore fundi tributarii onus peritacionum  
publicarum pacto in se recipiente. Programma, quo loc  
hones . . . intimantur
4. Hombergk qz Vack, Amil Ludov: De fundata in foro  
rei sitae per arrestum juris dictione, quomodo

actor causam agenti & principe suo habeat.

5. Koenig, Hans Conrad : De archimareschallo Augustae  
Imperatricis

6. Pagenstecher, Rudolph Gottfried : De vi alicujus auctoritate  
consuetudinis contrariae legi scriptae anteriori.

7. Sprengberg, Dr. Ludw. De eo, quod jus naturae est  
circa gradus prohibitae et eorum dispensationem.


8. Gafall, Justin David : Differentiae artium Romanarum  
et Germanicarum occasione recens imperii  
D. an. 1544 & 64, 65 et. Ord. Germ. p. 2. lit. 2 & 1.

*[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*



*[Faint, illegible handwriting on the left edge of the page]*







QVATENVS  
VXORES IN HASSIA NOSTRA<sup>8</sup>  
SECVNDVM §. XXXVIII. XXXVIII. ET XXXX. ORDINAT  
PROCESSVS SALVBERRIMAE DE AN. clō lo CCXXXV.

DIMIDIAM ACQVAESTVS  
LVCRENTVR, <sup>1747/4</sup>  
ET  
QVATENVS VICE VERSA  
AD SOLVTIONEM AERIS  
ALIENI OBSTRACTAE SINT.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO ET CELSISSIMO PRINCIPE  
AC DOMINO

DOMINO FRIDERICO,  
HASSIAE LANDGRAVIO, RELIQA.

HACCE DISSERTATIONE SVA INAVGVRALI  
DISQVIRIT

ET  
ILLVSTRI IVRECONSVLTORVM ORDINE PERMITTENTE,  
PRO  
HONORIBVS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS  
IN VTROQVE IVRE CAPESSENDIS,  
DIE II. FEBRVARII clō lo CCXXXVII.

PVBlico EXAMINI  
PROCERV M ACADEMIAE MARBVRGENSIS  
SVBMITTIT  
IOANNES IACOBVS FRANCKE  
ADVOCATVS ORDINARIVS ILLVSTR. REGIM. HASSO-CASSELLANJ.

MARBV RGI  
EX OFFICINA MÜLLERIANA.

28.



V I R O  
P E R I L L V S T R I A T Q V E  
E X C E L L E N T I S S I M O  
D O M I N O  
H E N R I C O O T T O N I  
C A L C K H O F F

S E R E N I S S I M O A C P O T E N T I S S I M O  
S V E C O R V M R E G I H A S S I A E L A N D.  
G R A V I O R E L I Q V A

A  
C O N S I L I I S S A N C T I O R I B V S  
I N T I M O S T A T V S  
A D M I N I S T R O

E T  
S V P R E M I A P P E L L A T I O N V M T R I B V .  
N A L I S D I R E C T O R I  
S P L E N D I D I S S I M O

VERO  
PERILLISSIMO  
EXCELLENTISSIMO  
EXCELLENTISSIMO  
HENRICO DE TONI  
IOANNI ADAMO  
SERENISSIMO AC POTENTISSIMO  
SVEVICVM REGI HASSIAE LAND-  
EIVSDEM POTENTISSIMI SVCCO-  
RVM REGIS HASSIAE  
CONSILII SANCTORVM  
LAMBARTII  
JACOBI DE LARIS  
REGIMINE REVERENDISSIMO  
EST  
CAROLI GRAVISSIMO  
NISI DIRIGTORI  
DOMINI AC MATERNALIVS EIVS  
LONGE INVULNERABILIS



ITEMQVE  
VIRO  
MAGNIFICO ATQVE  
EXCELLENTISSIMO  
DOMINO  
IOANNI ADAMO  
KOPP  
EIVSDEM POTENTISSIMI SVECO-  
RVM REGIS HASSIAE  
LANDGRAVII  
VICECELLARIO  
REGIMINIS, QVOD MARBV RGI  
EST  
GRAVISSIMO  
DOMINIS AC MAECENATIBVS SVIS  
LONGE INDVLGENTISSIMIS

VITAM  
SALVTEM  
FELICITATEM

ET  
QVICQVID RERVM SECVNDARVM HO-  
MINIBVS CONTINGERE POTEST  
AD NESTOREOS VSQVE ANNOS  
EX INFIMIS CORDIS PENETRALIBVS  
ADPRECATVR

ET  
SPECIMEN HOCCE  
OCCASIONE ORDINATIONIS PROCESSVS  
NOVISSIMAE EIVSQUE SALVBERRIMAE  
CONSCRIPTVM

SVMMA QVA DECET PIETATE  
IN  
SEMPITERNAE OBSERVANTIAE

AC  
SVMMAE DEVOTIONIS MONVMENTVM  
EX SOLLEMNI VETERVM FORMVLA

DAT  
DICAT  
DEDICAT

IO. IACOBVS FRANCKE.



DE ACQVAESTV CONIVGALI  
ET  
SOLVTIONE AERIS ALIENI



§. I.

icuti per ordinationem processus *ius inter*  
nouissimam in Hassia ea, quae ad *coniuges*  
ius et iustitiam spectant, in diuer- *mutatum*  
sis iuris articulis admodum sunt *est.*  
emendata; ita praecipue ius inter  
coniuges tum quoad acquæstum,  
tum quoad obligationem ad sol-  
uendum aes alienum, constante  
matrimonio constat, per dictam ordinationem,  
insigniter mutatum inuenies.

§. II.

Nam in Hassia inferiori antea vxor, si ali- *quid antea*  
quid in matrimonio acquisitum erat, dimidiam eius *observan-*  
partem *tiae fuerit.*

A 2

partem capiebat, at, si forsan concursus creditorum oriebatur, ad aes alienum soluendum nil de suo conferebat, sed suam dotem cum insigni priuilegio praelationis ex massa repetebat; vnde quam saepissime factum, vt fere nihil ad creditores, etiam hypotheca publica munitos, deueniret, sed omnia decoctoris vxori cederent, cum illa tamen haut raro ob pessimam administrationem rerum domesticarum caussa istius concursus vnica fuisset.

## §. III.

*At ista anterior obseruantia respectu creditorum admodum dura fuit.*

Hoc autem, respectu creditorum, valde durum fuisse, immo commerciis multum nocuisse, primo obtutu incurrit in oculos; quilibet in contrahendo timidus erat, et haut inique verebatur, ne suum perdat per interuentionem vxoris. Huic malo igitur mederi voluit POTENTISSIMVS REX noster FRIDERICVS, sanciens, vt, si vxor, communem negociationem exercens, et sic de aquaestu partem capiens, non adhibeat cautelam in §. 40, *ordinat. process.* praescriptam, tunc aes alienum, constante matrimonio contractum, etiam de suo soluere obligata sit, quo ipso inter dictas coniuges eiusdem negociationis communio bonorum particularis, quae et communio aquaestus vulgo vocatur, in patria nostra introducta, quae tamen, vti in sequentibus ostendam, adhuc valde anomala et impropria est, nec per omnia ex regulis societatis diiudicari poterit, sed solummodo eos producit effectus, quos innuunt verba statuti, et eorum genuina interpretatio.

## §. IV.



## §. IV.

Haec immutatio obseruantiae, quae antea *Facta im-*  
 fuit, ne alioquin omnis corrueret fides, admodum *mutatio*  
 erat necessaria; et cum regula iuris publici: prin- *igitur per-*  
 cepts in territorio tantum potest, quantum impe- *utilis est.*  
 rator potest in imperio facis trita sit, plane super-  
 uacaneum quid esset, si de eo: an ius commune  
 per eiusmodi statutum prouinciale alterari possit,  
 sollicitus esse velim; hoc vnum ex superabundan-  
 ti allego, quod etiam in ipsa camera imperiali va-  
 leat tale statutum: vxorem pro marito teneri, et  
 ab illa simul cum ipso, debita soluenda esse, vti  
 hoc EX MYNSINGERO et aliis auctoritatibus refert

RAVCHBAR. p. 1. q. 36. n. 12.

Cum tamen per inueteratam obseruantiam illud  
 haectenus obtinuerit, quod vxores quidem lucri,  
 sed nunquam damni seu aeris alieni participes fue-  
 rint; inde certe credo, futurum, vt multi iudices  
 praefertim inferiorum iudiciorum, anteriori assuefa-  
 cti obseruantiae, quando ipsis casus secundum istam  
 ordinationem dirimendi obuenant, quid nunc iu-  
 ris sit, haestaturi sint. Et considerans, nil tali-  
 bus disceptationibus forensibus frequentius fore,  
 siquidem nihil frequentius matrimonio, et quoli-  
 bet finito vel lucrum siue acquaesctus, vel damnum  
 siue aes alienum superans substantiam, quam con-  
 iuges in commune intulerunt, adsit; non absque  
 vtilitate erit, si casus insigniores proponam, qui  
 mihi occasione istius communionis particularis,  
 nunc apud nos aliquatenus obtinentis, in men-

tem venerunt; at potest fieri, vt non vbiq̄ue sensum summi legislatoris assequar, et tunc per se liquet, omnia solummodo et vnice ex futura interpretatione authentica pendere.

## §. V.

*Quid iure Romano circa communionem bonorum obtinuerit?*

Finis meus hic est, vt haec dissertatio in praxi vtilitatem aliquam adferat, quem finem munus meum aduocati satis quoque iustificabit. Ergo e re mea non erit, aut quid vetustis temporibus iure Germanico, aut etiam quid iure Romanorum ratione communionis bonorum in vsu fuerit, prolixius perscrutari. Vt tamen eatenus aliquid fieri videatur, hoc paucis allegasse sufficiat, iure Romano nullam inter coniuges obtinuisse societatem; quippe imperatori Iustiniano nil magis cordi fuit, quam vt vxori dos sua salua esset, quod autem communioni bonorum haut consentaneum est; et ratio: quare omnia pendente matrimonio acquisita, ad solum spectent maritum, redditur  
*in l. § 1. de donat. inter vir. et vx.*

Plane aliter autem relatio inter coniuges sese habuit, in statu Romanorum regio, videatur  
*PESTEL in disquis. iuris Germ. de success. inter coni. ab intestato.*

## §. VI.

*quid iure Germanico?*

Quatenus communio bonorum inter coniuges vetustissimis temporibus in Germania recepta fuerit, plenius disseruit  
*idem dnus PESTEL c. l. §. 14. et 15.*

Hoc

Hoc certo certius est, quod haec communitio, quae iam in multis locis obseruatur, natales suos isti solummodo debeat statuto, per quod vel in totum, vel pro parte ditioni statuentis imperio subiecta, introducta est; praeterea dubio quidem caret, in multis prouinciis et ciuitatibus Germaniae nostrae communionem bonorum vel vniuersalem siue fortis, vel particularem siue aquaestus obtinuisse, antequam ius Romanum in nostras scholas atque fora penetrauerit, utpote quod saeculo decimo quinto factum, secundum

CONRING. *de orig. iuris Germ. c. 32.* SCHWEDERVM *P. spec. f. 1. c. 6. n. 2. et 3.*

Attamen putauerim, demonstrari haut posse, usum communionis bonorum inter coniuges ante receptum ius Iustinianum vniuersim in Germania viguisse, et contrarium docet

HEINECCIUS *lib. 1. tit. 12. §. 266. et multis sequentibus.*

vbi: quomodo diuersi populi Germaniae e. g. Wisigothi, Saxones, Westphali etc. vel vniuersalem, vel particularem, vel plane nullam communionem bonorum inter coniuges agnouerint.

### §. VII.

Fluit ex eo, quod asserenti: communionem aliquam in hac vel illa prouincia obtinere, probatio sui asserti incumbat et alias deficiente probatione secundum obseruantiam aut secundum principia iuris Romani, vniuersim in subsidium recepti, pronuntiandum esse.

*Asserenti  
communio-  
nem in-  
cumbit  
probatio.*

### §. VIII.

## §. VIII.

*Quomodo  
proceden-  
dum, si du-  
bia circa  
introdu-  
ctam occur-  
rant.*

Insignis quaestio et quidem praeiudicialis occurrit, quae decisa definiendis omnibus sequentibus casibus maxime inferuiet. Cum statuto, siue ordinatione prouinciali, per quam species aliqua communionis introducta est, omnes controuersiae, quae occasione introducti istius noui iuris oriri possunt, non deciduntur; ad quod tunc in iudicando sit recurrendum? Si verba statuti clara decisionem casus alicuius inferunt, verbis standum, et neuiquam mentem aliquam imaginariam et minus certam summi legislatoris aduertendam esse, satis patet; et tunc quando ex verbis statuti solatium peti non possit, argumento verborum tamen lis decidi queat, iterum res expedita est; attamen quia modus argumentandi apud diuersos homines, saepenumero est admodum diuersus, per futuram interpretationem authenticam optime amputandis litibus consuli potest, et certe etiam a Principe (cui non satis depraedicando exemplo ista amputatio disceptationum forensium et inde profluens salus publica, tam valde cordi est) hoc sane non omittetur, vt, quando consilarii eius grauissimi ac proceres iustitiae hoc, ad consequendum modo dictum finem, necesse esse reputabunt, casus adhuc quodammodo dubios, mediante hacce interpretatione authentica vel etiam vltiori statuto, ad certum redigendos curent.

§. IX.

## §. IX.

Interim notum est, minimam circumstan- *An ad sta-*  
 tium variare dispositionem iuris, vt ita fere impos- *tuta alia-*  
 sibile sit, omnibus casibus, qui pro diuersitate, quae *rum pro-*  
 est in rebus humanis, quotidie oriuntur, certam *uinciarum*  
 atque ipsum euenientem casum cum omnibus suis *an autem*  
 singularibus et saepe paradoxis circumstantiis, in *ad ius com-*  
 terminis terminantibus (vti dicunt) determinan- *mune re-*  
 tem legem condere, et antequam hic vel ille casus *curri pos-*  
 authentice declarabitur, quaero: ad quodnam *sit?*  
 ius recurrendum sit? an ad statuta aliarum prouin-  
 ciarum, in quibus eadem species communionis  
 obtinet? an autem ad ius commune?

## §. X.

Iam dixi (§. 6.), communionem honorum ge- *Minus ve-*  
 neraliter in Germania haut receptam fuisse, sed *ete ad sta-*  
 illam, quae iam multis in locis obseruatur, nata *tuta alius*  
 suos debere obseruantiae vel statuto, quod il- *prouinciae*  
 lam introduxit; accedit quod vix in vno loco ead- *recurritur.*  
 dem vbique sit forma communionis, quae in altero  
 obtinet, sed vt plurimum in vnoquoque loco ano-  
 mali quid viget e. g. Lubecae vidua aes alienum,  
 constante matrimonio constatum, soluere tenetur,  
 si liberi adsunt, fecus, si nulli adsunt.

MEVIUS ad I. Lubec. lib 1. tit. 5. art. 7.

Inde mihi omnino videtur probabile, ad statuta vel  
 consuetudines alterius prouinciae in dubio minus  
 recte recurri, et iustissime ab

HEINECCIO alleg. §. 266. iur. Germ.

B

improba-

improbari illu d quod multi omnia circa commu-  
 nionem bonorum inter coniuges eodem modulo  
 metiti sint, perinde ac si ab vnius gentis moribus  
 ad omnium consuetudines liceret certissimum du-  
 cere argumentum. Non igitur valebit consequen-  
 tia: communio particularis obtinet iure Bauarico,  
 Wirtembergico, Badenſi etc., eadem quoque nunc  
 inter coniuges eiusdem negociationis in Hassia  
 nostra recepta est. Ergo in decidendis casibus con-  
 suetudines et statuta huius vel illius prouinciae  
 normam dare possunt. Immo hoc eo minus locum  
 habere potest, cum in saepe memorata ordinatione  
 processus, communio illa particularis haut nomi-  
 natim introducta sit, sed ex effectibus saltem, ibi  
 determinatis appareat, talem communionem at-  
 tamen adhuc valde improprie et anormale, pro fu-  
 turo obseruandam esse.

## §. XI.

*Quatenus  
 ad ius  
 commune  
 recurri  
 queat?*

An igitur in casibus dubiis, circa istam com-  
 munionem obueneris, ius commune adiumento  
 esse poterit? Ego distinguendum puto; *an de in-  
 terpretatione communionis bonorum vel statuti, quod  
 illam introducit, sit quaestio?* an autem quaeratur:  
*quid in casibus, statuto plane non definitis, iuris esse  
 debeat?* priore casu interpretatio ex iure Romano,  
 utpote quo communio ista inter coniuges plane  
 ignoratur, haut concinne institui poterit; postero-  
 ri casu autem, ius ciuile, in quantum per *ordina-  
 tionem prouincialem* non immutatum est, in iudi-  
 cando

cando adhuc obseruandum. *Vbi enim deficit loqui statutum, ibi iterum incipit ius commune.*

## §. XII.

Hoc vnum circa interpretationem adhuc tenendum est, finem legis conditae, in casu lege haud satis definito, respiciendum esse. Nunc autem finem *ordinat. proc.*, quoad hunc passum, neque fauorem mariti neque vxoris respicere, sed potentissimum legislatorem hoc vnice intendisse, vt creditoribus consularur, et commercium securius reddatur, dispositio §. 41. eiusd. *ordinat.* satis demonstrat.

## §. XIII.

Iam dictum est, communionem particularem propriam per nostrum statutum non introductam, sed illam anomalam et irregularem esse; vt tamen eo magis appareat, in quantum ista a natura propriae communionis recedat, eam definiri necesse erit. Est igitur communitio particularis societas coniugalis, in quam coniuges praeter personas, bona sua ea lege conferunt, simulque operas impendunt, vt bonorum proprietates sua cuique seruetur, sed acquaeustus et damnus, constante matrimonio eueniens, inter vtrumque ex aequo communicetur.

## §. XIII.

Triapotentissimum considerata erunt, 1) quid iuris sit, si soluto matrimonio acquaeustus adest, et quibus casibus communicandus? 2) in quantum vxor creditoribus mariti obligata? et 3) qua ratio-

*sideranda  
veniant?*

ne vxor suam substantiam in saluo habere, et a solutione aeris aelieni maritalis sese liberare possit.

§. XV.

*Quaenam  
acquaeftui  
annun-  
rentur, re-  
uiffiue?*

Quaenam aquaeftui cedant, et quaenam vnus vel alterius propriae substantiae sint accensenda? Haec consideratio sola tam late sese extendit, vt si omnia, quae hic occurrere possint, obiter saltem pertractare velim, rationes iustae differtationis longe excedere deberem. At cum mihi proposuerim, eas solummodo quaestiones mouere, quae oriri possunt occasione eius, quod contra anteriorem obseruantiam, per *ordinationem processus*, nouiter sancitum est, respectu aquaeftus inter coniuges communicandi, breuis esse possum. Nam hoc semper in Hassia nostra obtinuit, quod finito matrimonio id, quod acquisitum, inter superstitem coniugem et praemortuae haeredes diuidendum fuerit. Ergo eatenus nil aliter obtinet, nisi quatenus in coniugibus diuersae negociationis communicatio aquaeftus valde restricta sit. Praeterea in commentario WEYERI *de commun. bonor. inter coniuges, qui editus est Lemgouiae 1739.*

*P. I. thes. 9. §. 5.*

quoad istud punctum iuris: quae ad communionem aquaeftus referenda sint nec ne? satis distincte tradita sunt, ita vt haec ad plenariam eius cognitionem sufficere queant. Ista igitur describere, et huc transferre nolim. Definitio autem aquaeftus haec est: quod sit augmentum fortunarum;



rum, quod constante matrimonio quaesitum, ex-tracta forte et deducto aere alieno superest.

*Quid ac-  
quaestus?*

## §. XVI.

Antequam praeclarum nostrum statutum vi-gebat, omnes vxores siue eiusdem siue diuersae negociationis dimidiam aquaestus accipiebant. At iamiam posteriores secundum §. 40. *statuti* istius ab aquaestu excluduntur, nisi ante initum matrimo-*ni*um eo modo, qui in antecedenti §. 39. praescriptus est, sese ad solutionem aeris alieni obliga-uerint. Vbi statim tamen haec incidit quaestio: pone in praefecturis ABTERODA et GERME-RODA, vulgo das Gericht Bilsstein genannt, viget obseruantia, vt si neque liberi, neque testamen-*ti*um, neque etiam pacta dotalia adsint, coniux superstes coniugis praedefuncti haeres sit quoad mobilia, quoad aquaestum, et denique quoad vsumfructum immobilium. Didici quoque ex per-*lu*stratione actorum in causa Petri Iungens et consort. von Abteroda *appellantem*, contra Iacobum Preussen zu Wolsteroda *appellatum*, secundum istam obseruantiam tractus Bilssteinensis per defini-*ti*uam de die 4. mens. nouembr. 1741. ab illustri Regimine Cassellano pronunciatum esse. Quaeritur igitur: an vxores etiam priuentur isto ac-quaestu, qui ipsis vi dictae obseruantiae competit? Si quis negatiue respondere velit, inde pronon-*ti*o sequeretur, vt vxores istius districtus ordina-*ti*oni nostrae clementissimae facillimo negotio illu-*di*dere possent. Siue enim vxor eiusdem negociatio-

*Quid iuris:  
si aquae-  
stus ex pe-  
culiari lo-  
ci alicuius  
obseruan-  
tia vxoriz  
debeatur?*

nis saepe dictam renunciationem adhibeat, siue vxor diuersae negociationis praescriptam declarationem omittat, nihilominus aquaestus particeps fieret. His igitur motus statuere haut dubito et vno et altero casu, non obstante haec alias viridi obseruantia, vxorem ad aquaestum adspirare haut posse. Nam si fecus, vxor vel semper renunciaret, vel numquam secundum §. 40. *ordinat.* sese declararet, quò ipso a solutione aeris alieni, substantiam mariti superantis, vbique immunis, et nihilo secius casu inuerso acquisita lucratura esset.

## §. XVI.

*Quaenam coniuges sint eiusdem et quaenam diuersae negociationis?*

Quae coniuges dicantur eiusdem negociationis et quaenam diuersae? res erit in facto aliquantulum intricata; praecipue cum in *statuto* hoc plane non determinatum sit; et, cum haec distinctio, si non vbique in Hassia, in plurimis tamen Hassiae locis antea ignorabatur; sane credo fore, vt circa hanc quaestionem, vt dicunt praedicta, plurima dubia obuentura sint, quae forsitan etiam per futuram interpretationem authenticam e medio tollentur. Iamiam ego reputo, illas coniuges, quae sese maritorum negociationi immiscere possunt, et reuera sese immiscerent, vt sunt coniuges mercatorum, cauponum, opificum et rusticorum, has eiusdem negociationis esse; immo etiam has, quae per curam in res domesticas id operantur, vt mariti negociationi melius incumbere possint, ad eandem classem pertinere. Exclusae igitur erunt a communi negociatione

ciatione et inde etiam ab acquaeſtu, die *Weiber der Gelehrten, Beamten, Prediger, Aduocaten* etc. Per ſe tamen patet, etiam has, ſi caurelam in §. 40. *ordinat.* praefcriptam obſeruauerint, acquaeſtus participes eſſe. Quamquam haud iniquum videatur, omnes illas vxores, quae bona ſua marito tradunt in adminiſtrationem, etiam partem acquaeſtus capere, praefertim ſi bona non forſan in puſilla aliqua pecunia conſiſtant, ſed ſi redditus ex his bonis vxoriis maiores ſint, quam qui alias ſecundum conditionem mariti ad ſubleuanda onera matrimonii requiruntur. Per hos enim redditus vtique acquaeſtus inſigniter augetur, immo non abſque ratione dixerim, fructus bonorum, quae coniuges in commune conferunt, ſecundum rationem viuendi, quam hodie habemus, vnicum vt plurimum medium eſſe, ſubſtantiam ſuam augendi. Hoc igitur reſpectu talis vxor ſe eiſdem negociationis cum marito eſſe aſſerere poſſet, cum negociatio et acquaeſtus ſeſe habeant adinſtar cauſſae efficientis et effectus.

## §. XVIII.

In puncto acquaeſtus porro haec quaefſtio *An vxori,* dubia videri poſſet: quando vxori per pacta *cui in pa-* talia praeter ſua illata certa pecuniae ſumma *ctis dotali-* conſtituta, ſi nempe vxor ſoluto ſine liberis matrimo- *bus certa* nio ſuperſtes futura ſit: an eo ipſo communio acquae- *pecuniae* ſtus excluſa, ita vt vxori praeter conſtitutam lum- *ſumma* mam nihil ab heredibus praemorientis mariti ex- *conſtituta* ſolui debeat? exiſtimo: voluntatem ita paciſcenti- *eſt, praete-* um hanc eſſe, vt in vxorem ſuperſtitem liberali- *rea etiam* *acquaeſtus* *debeatur?* *tas*

tas aliqua conferatur, acquaeſtus autem non eſt obiectum liberalitatis maritalis, ſed poſitis ponendis vxori ex ſtatu et obſeruantia pleno iure debetur; alias, ſi durante matrimonio inſignes facti ſint acquaeſtus, iſta conſtituta pecunia in inſigne vxoris damnum vergeret, et nimia inde inaequalitas oriri poſſet. Accedit, quod renunciatio ſit facti et non praefumatur. At inde, quod vxori in pactis dotalibus certa argenti ſumma conſtituta ſit, talis renunciatio haud probari poterit. Porro marito eiusque heredibus etiam iſtud obſtat, quod clarivus debuiffet loqui, *arg. l. 39. de pactis*. Idem vice verſa ratione mariti obtinere, ſtatuere haud dubito, cum in acquaeſtum ius coniugum ſit aequale.

## §. XIX.

*Quomodo  
deficiente  
inventario  
ratione ac-  
quaeſtus ſit  
proceden-  
dum ac  
praefumen-  
dum?*

Soluto matrimonio, ſuperſtiti coniugi et praedefunctae heredibus, acquaeſtum communem eſſe, res ſatis expedita eſt. At haud ſemper in facto ita expeditum, quomodo procedendum et praefumendum, ſi ab initio matrimonii designatio, quae et maritus et vxor ex ſua cuiusque ſubſtantia in ſocietatem conferunt, haud conſcripta ſit; item ſi coniux ſuperſtes aliquamdiu in poſſeſſione remanſerit, et itidem conſectio inventarii, quae tempore mortis defunctae coniugis in bonis fuere, omiſſa ſit. Mihi in tali certe ancipiti caſu, qui tamen toties quoties occurrit, ita videtur: omne quod adest, pro communi habendum eſſe, niſi ex vna vel altera parte probari poſſit: hoc vel illud, hanc vel illam quantitatem pecuniae ad huius vel illius coniu-

coniugis bona patrimonialia pertinere: cui igitur tunc deficit probatio, illi etiam a iudice consuli haut poterit. Immo altero casu: si coniux superstes confectionem inuentarii omiserit, etiam ea, quae post mortem praemortuae coniugis emta et adquisita sunt, pro communibus reputanda erunt, cum credibile sit, pretium pro rebus emtis solum adhuc a communi oriri. Nam quamuis probe sciam, societatem coniugalem morte alterutrius coniugis finiri et deinceps acquisita ad superstitem pertinere; attamen coniux superstes hic sibi met ipsi imputare debet, quod non statim a morte alterius coniugis inuentarium confici curauerit. Si autem simul probari possit, etiam pretium rei acquisitae, soluto iam matrimonio, aliunde, quam ex re communi acquisitum esse, tunc res erit per se plana. Multis in locis viget obseruantia, qua inuentario non confecto, communitio inter superstitem et defuncti heredes censetur continuata, de qua re videatur

HVBER. ad tit. pro socio §. 13.

§. XX.

Quoad acquaesum diuidendum etiam sequens quaestio oriri possit: pone praetor aliquis mulctam 1000. thalerorum ob suam (vbi dicunt) maluersationem soluere debet; dein heredes istius Praetoris finito matrimonio cum superstiti vxore acquaesum diuidunt, an non vxor restitutionem

*Quaeritur: an mulcta marito ob delictum irrogata, etiam ad vxorem dimi- pertineat?*

C

dimidiae partis istius mulctae, quae de communi pecunia soluta est, ex substantia mariti propria iure postulare queat? Et existimo, quod sic, cum mulctae delictorum ita sint personales, ut irrogatae marito, non pertineant ad uxorem,

HVBERS *ad tit. ff. pro socio §. 8.*

§. XXI.

*Declaratio  
secundum  
§. 40. ordi-  
nat. fieri  
debet ante  
finitum  
matrimo-  
nium.*

Porro haec quaestio saepe orietur, an per §. 40. *ordinat.*, vxor diuersae negociationis NB. ante initum matrimonium, vor ihrer Verheyrathung, declarare debeat, se velle ad solutionem aeris alieni obstrictam esse? Et ratio satis patet, cur non constante matrimonio ista declaratio fieri possit, sicuti hoc tamen obtinet circa renunciationem, secundum §. 39. *ordinat.*. Nam tunc talis vxor statuto facillimo negotio illudere possit. Expectaret enim, vsque dum videre liceret, an finito matrimonio quaestus an damnum adfuturum sit? Quamdiu damnum et aes alienum, superans substantiam mariti, metueret, omittit dictam declarationem, et hoc modo suum conseruat; at, si ad minimum secundum regulas probabilium iudicaret, multa in matrimonio lucrata esse, me hercle! absque vilo periculo, praesertim quando ambo coniuges iam eorum annorum sint, ut matrimonium morte alterutrius mox soluendum sit, ad solutionem aeris alieni sese obligaret; nunc autem quaero: an igitur illae, quae ante nostram saluberrimam  
*Ordina-*

Ordinationem iam vxores fuere, nullo plane modo ad communicationem aquaestus adspirare possint? et non dubito, ad hanc quaestionem negatiue respondere, idque et per verba expressa statuti et quia alioquin, modo iam dicto, statuto illudi posset.

## §. XXII.

At cogitarent hae mulieres ( praesertim si liberos non habeant ) eheu nobis miseris! quid utilitatis nobis inde eueniet, vt nostra industria et cura in res oeconomicas, aquaestum, qui iam est, ad huc magis promouere sollicitae simus, cum tamen omnis via ad eius dimidiam consequendam nobis adempta sit; sed non est, vt ea propter tam valde plangent; dantur adhuc remedia; si enim earum mariti illis prospicere velint, possunt certe non solum dimidium sed vniuersum quoque aquaestum vxoribus suis legare, et tunc, si hoc a maritis per blanditias vel quacunque alia methodo obtinuerit, res earum eo securior est. Nemo enim ante mortem beatus; posset igitur iamiam aquaestus adesse, immo quoque spes illum adhuc magis augendi; at rebus aduersis, et specie aliqua infortunii, quae omnes enumerari haut possunt, substantia ita minueretur, vt aes alienum a marito haut exfolui possit; tunc enim vxor per factam declarationem pessime sibi consulisset.

*Quomodo illis, qui ante promulgatum statutum iamiam vxores fuerunt, consuli possit.*

*An vxor  
post renun-  
tiationem  
iterum ad  
acqua-  
estum recur-  
vere queat?*

obom ensiq coll in §. XXIII. *Si vxor eiusdem negociationis aquaestui renunciauerit, et postea videns, facultates mariti sese augere, velit ad aquaestum recurrere, sese obligando ad solutionem aeris alieni, quaeritur: an hoc liceat? et responderetur: distinguendo: an maritus consentiat, nec ne; priori casu inuito haud fit iniuria, et sane creditores hoc, quod vxor denuo in eorum fauorem sese obliget, ambabus manibus acceptaturi sunt; posteriori autem casu et marito inuito, vxori recursus ad aquaestum non patebit; nam ad renunciata non datur regressus, et per iamiam factam renunciationem, marito in totum aquaestum ius est quaesitum, quod ipsi absque suo facto et consensu iterum auferri haud potest.*

§. XXIII.

*Vxor ad  
solutionem  
aeris alie-  
ri in soli-  
dum est ob-  
stricta.*

Quoad secundum membrum huius disserta-  
tionis, quatenus vxores ad solutionem aeris alie-  
ni obstrictae sint, ante omnia generaliter tene-  
ndum est, vxores eiusdem negociat., si non renun-  
ciauerint, et vxores diuersae negociationis, si ab ipsis  
supra memorata declaratio facta sit, teneri; at  
statim quaestio incidit, an in totum teneantur, num  
solummodo pro dimidia parte? dubium mouet,  
quod etiam dimidiam tantum partem aquaestus  
capiant; attamen hoc non obstante, vxorem vti-  
que in totum teneri statuo; nam hoc satis innu-  
unt verba ordinationis: *Sie sollen eins für das  
andere*



andere pfandbar, und die gemachte Schuld zusammen zu bezahlen verpflichtet seyn; nec mouet vxorem, dimidiam tantum partem ex aquaestu capere; nam si totum aquaestum caperet, tunc secundum regulas societatis etiam omne aes alienum, et quidem ita, vt maritus suam substantiam in saluo retineat, soluere obligata esset.

## §. XXV.

In totum ergo obligata est. Verum haec thesis non excludit illam tamen haud aliter, quam in subsidium teneri; nam hunc sensum esse *ordinati-* *Sed tamen non nisi in subsidium.* *onis*, nos iterum dubitare non sinit eius §. 39. vbi statuitur quod vxor tamdiu adhuc renunciare, et eo sese modo ab aere alieno liberare possit, quam diu maritus adhuc soluendo sit; ergo primum substantia mariti est excutienda, et vsque dum hoc factum, sane credo vxori exceptionem ordinis seu excussionis competere.

## §. XXVI.

Interim hac ratione casus existere potest, vbi a regulis societatis et communis particularis quam maxime desectatur; pone, maritum 1000. thaleros et vxorem itidem 1000. thaleros in matrimonium conferre; si finito matrimonio 1000. thalerei acquisiti sunt, vxor vel eius heredes 500. thaleros inde capiunt; at si aes alienum 1000. thalorum constatum sit, tota mariti substantia absorbetur, et ille vel eius heredes omnia perdunt,

C 3

VXOR

*Recensetur casus, vbi a regulis societatis quam maxime desectatur.*

vxor autem suam substantiam mille thalerorum in saluo retinet; hinc videre est, vxores sane non habere, vnde querantur, illis per hoc saluberrimum statutum, quoad solutionem aeris alieni, inquam conditionem illatam esse.

## §. XXVII.

*Quaeritur:  
an non sicuti  
lucrum,  
ita etiam  
damnum  
inter mari-  
tum et  
uxorem et  
vnius vel  
alterius  
heredes  
aequis par-  
tibus sit  
communi-  
candum?*

Si autem quis pergat quaerere: etsi vxores in subsidium tantum teneantur, quando scilicet res inter illas et creditores agatur, an non tamen sicuti quaestus, ita etiam damnum inter coniugem et alterius heredes communicandum sit, inprimis cum aliquatenus durum videatur, si vxor sine liberis praemoriatur, et suam substantiam ad heredes suos transmittat, quod tunc solus maritus aes alienum durante matrimonio conflatum, soluere, et heredibus vxoris integra illata restituere, necessum habeat, cum tamen isti heredes casu inuerso, si aliquid in matrimonio acquisitum fuisset, eius dimidiam partem lucrati essent. Illud claro clarius est, per regulas communionis particularis hoc ita obseruandum esse, quod si damnum aquaestum superet, excessus damni aut aeris alieni ex sorte illata aequaliter refarciendus sit, ita vt in hac societate coniugali proportio haut geometrica sed arithmetica obseruetur, et damnum simpliciter aequis partibus diuidatur, tamen si vnius fors, sortem alterius longe superet, sic vt isto damno vnius coniugis facultates plane absorbeantur, alterius autem magna ex parte saluentur.

A WESEL

A WESEL *de commubiali bonorum societate* 2. 3.  
n. 118.

HEESER *de bonor. et acquaeft. coningal. commu-  
nitione* 2. 15.

At mihi hanc propofiti legem, nil nifi verba ftatu-  
ti noftri faluberrimi et eorum genuinam interpreta-  
tionem fequi; confiderans igitur, vxoribus fa-  
cultatem renunciandi, vsque dum maritus adhuc  
fit foluendo, per §. 39. *ordinat.* concessam effe,  
non poffum non verum exiftimare, quod dam-  
num feu aes alienum pendente matrimonio con-  
flatum non nifi in subsidium, i. e. fi fubftantia  
mariti non fufficiat, fubftantiam vxoris continge-  
re debeat; cumque de eo cafu, an non tamen  
inter maritum et vxorem et vnus vel alterius  
heredes damnus iftud fit communicandum, ftatutum  
nil difpofuerit, ifte cafus fecundum obser-  
uantiam, quae antea in Haffia nofta viguit, et fe-  
cundum ius commune decidendus erit; ambo  
autem et obseruantia et ius commune in eo con-  
ueniunt, quod damnus feu aes alienus vxo-  
rem vel eius heeres non premat, fed quod ni-  
hilominus illata in faluo habere debeat.

§. XXVIII.

Per verba ordinationis: quod vxor ad fo-  
lutionem *der gemachten Schuld* obftrecta fit, fatis  
patet, illam haut teneri ob aes alienum, quod ma-  
ritus ante initum matrimonium habuit. Sed  
pone: *Vxor haut obligatur ad folutio-  
nem aeris  
alieni ante-  
matrimo-  
nialis.*

pone: maritus debet ante nuptias 1000. thaleros, confert autem in matrimonium fundum sibi proprium, qui valet 2000. thaleris; durante matrimonio aes alienum 2000. thalerorum conflatum est; iam cogitat vxor, nunc instare tempus, vt renunciaret, si videlicet sua in saluo habere velit. Quæritur: an hæc renunciatio, re adhuc satis integra facta sit, cum fundus mariti ad soluendum aes alienum, durante matrimonio conflatum, sufficiat, et vxor non nisi in subsidium teneatur? Et mihi videtur, rem iam eo deuenisse, vt vxor mille thaleros de sua substantia soluere necessum habeat; nam sicuti aes alienum antea deducendum sit, priusquam alicuius facultates determinari possint; ita etiam in casu proposito substantiam mariti, quam reuera in societatem coniugalem contulit, consistit solummodo ex mille thaleris, si nempe debitum antenuptiale 1000. thalerorum detrahatur. Ergo ex istis 2000. thaleris damni seu aeris alieni matrimonialis, maritus tantum mille thaleros ex sua substantia soluere potest, ita vt vxor quoad id, quod remanet, teneatur.

## §. XXVIII.

*Ampliatio §. antecedentis.*

In casu §. antecedentis etiam nil refert, an forsitan aes alienum mariti antenuptiale ex debitis durante matrimonio contractis solutum sit; nam in tantum substantia mariti augetur, in quantum solutio facta est; reapse igitur vnum idemque erit.

§. XXX.

## §. XXX.

At si aes alienum antenuptiale substantiam *Quid iuris*  
 mariti superet, aut maritus nil facultatum *si istud aes*  
 habeat, et nihilominus 1000. thaleros ante nu- *alienum*  
 ptias debeat. *antenupti-*  
 Quæritur: si isti 1000. thaleri *ale ex debi-*  
 ex aere alieno durante matrimonio contracto so- *to constan-*  
 luti sint, an vxor ad huius solutionem teneatur? *te matri-*  
 distinguendum puto: an creditor sciuerit, mari- *monio con-*  
 tum ex ea pecunia, quam illi credit, debitum suum *tracto solu-*  
 antenuptiale soluere, idque in fraudem vxoris et *tum sit?*  
 statuti, vi cuius illa ad solutionem istius debiti  
 a marito ante nuptias contracti, haut tenetur; et  
 tunc creditori exceptio deli ab vxore opponi po-  
 test; an autem creditor nesciuerit in quem usum  
 pecunia mutuo data vertatur, et hoc casu pro cre-  
 ditore pronuncian- dum erit, quippe qui eius, in  
 quem usum pecunia impendatur, rationem habe-  
 re haud tenetur, nec ei obstat l. 3. §. 9. ff. de  
*in rem verso.*

## §. XXXI.

Si aes alienum antematrimoniale ex aquae- *Quid, si so-*  
 ltu solutum sit; satis expeditum est, quod tunc, *lutio ex ac-*  
 cum diuisio aquaestus instituenda veniat, vxori *quaestu fa-*  
 pars dimidia eius, quod solutum est, ex substantia *cta sit?*  
 mariti propria restituenda sit.

D

§. XXXII.

## §. XXXII.

*Quatenus  
creditori-  
bus in im-  
mobilia  
uxoris, in  
alia pro-  
uincia, ubi  
communio  
non viget,  
sita, ius  
competat?*

Occasione huius 2di membri sequens etiam mihi occurrit visio; vxor quae premitur a creditoribus, vt soluat aes alienum coniugale, immobilia possidet in prouincia aliqua, vbi vxores ab aere alieno immunes sunt; quaeritur: an creditores in ista immobilia ius aliquod habeant? stricto iure videtur quod non, idque

argum. l. fin. ff. de iurisd.

et huc etiam inclinare videtur

*Dnus PESTEL c. 1. §. 5. lit. c.*

quod bona extra fines domicilii sita quoque comprehendantur, nisi communionio bonorum in foro rei sitae expresse prohibita sit. Perinde autem erit, si vi obseruantiae vxor in isto foro haut teneatur ad solutionem aeris alieni maritalis; atamen sane credo, si iudex domicilii vxorem condemnauerit, et dein ad implorationem creditorum petat per subsidiales a iudice rei sitae executionem iudicati, aut etiam vt in securitatem creditorum arrestum imponatur (modo termini discernendi arresti habiles adsint), quod tunc iste iudex rei sitae executionem iudicati, nec non impositionem arresti haut denegaturus sit, si non ex necessitate iuris, ex hodierna tamen obseruantia, et quo in casu simili idem ipsi fiat. Nec in contrarium mouet, quod res immobiles statutis rei sitae censeantur; haec enim regula tunc saltem obtinet,

tinet, si de ipso iure rei alicuius immobilis litigatur, siquidem hoc etiam vt plurimum in ipso foro rei sitae fieri debeat; plane aliter autem res sese habet in casu proposito, vbi contra vxorem principaliter in foro domicilii agitur.

## §. XXXIII.

Affinis etiam est haec quaestio: si vxor aliterius domicilii, vbi non teneretur de aere alieno mariti, possideat autem immobilia in Hassia nostra: an non creditores iure petere possint, vt iis immobilibus imponatur arrestum? Et hic negatiuam obtinere existimo, idque ex ratione in antecedenti §. allegata. Hic enim non disceptatur de iure aliquo istius rei immobilis; creditoribus quoque nullibi competit actio, non in foro domicilii, nam ibi, ob ipsis contrariam obseruantiam, haut fundatam intentionem contra vxorem habent, non in foro rei sitae, cum illis non competat actio realis, quae illam rem immobilem afficit. Praeterea iniquum videtur, maritum contrahendo aes alienum vxorem et eius substantiam obligare posse ad statutum alienum,

*Si vxor aliterius domicilii, vbi communitio nostra haut obseruatur, immobilia in Hassia possideat, an in illa creditoribus ius aliquod competat?*

MEVIUS ad I. L. quaest. praelim 4. n. 19. et 20.  
quamquam contrarium videantur statuere ea, quae habent

idem MEVIUS l. 2. tit. 2. art. 10. n. 4.

PECK de testam. coniug. l. 4. c. 28. n. 5.

D 2

vbi

vbi quod etsi in loco domicilii communio bonorum haut vigeat, bona tamen immobilia, in alio loco, in quo ista societas obtinet, sita, communia esse dicunt.

### §. XXXIII.

*Quomodo  
renuncia-  
tio fieri de-  
beat?*

Ad finem accelerans, nunc aggredior membrum tertium meae dissertationis, nempe quomodo vxor sese a solutione aeris alieni, mediante renunciatione, liberare queat? Methodus in ordinatione nostra satis perspicue est praescripta; rem actam igitur agerem, si eatenus praeter vllam necessitatem prolixus esse velim. Sunt quidem nonnulli, qui statuunt, pactum communionis exclusivum non valere contra creditores, versantes in opinione probabili, nisi legitime et tempestive publicatum sit

WEYER *P. I. th. 8. §. 2.*

HUBER *ad tit. ff. pro socio §. 8.*

qui dicit: se non posse non mirari, in Hollandia usum ferre, vxorem, si sit pacta, ne de aere alieno durante matrimonio contrahendo teneatur, a creditoribus conveniri haut posse, licet pactum illud inter solos contrahentes celebratum nec publicatum sit. Verum enim vero cum §. 39. *ordinat.* permittat vxoribus renunciationem in instrumento publico coram testibus fide dignis factam, nullus dubito, quin talis publicatio renuncia-



nuntiationis factae in Hassia nostra haut requiratur. Consultum ergo erit creditoribus, qui se fe haut satis securos existimant quoad substantiam mariti, ex vxore eiusdem negociationis quaerere: an renunciauerit vel non. Nam si negatiue respondeat, et hoc fiat testato, ita vt creditori probatio non deficiat, dolus vxori haut patrocinari potest, et inde, etsi renunciauerit, tenebitur, ac si non renunciaasset.

## §. XXXV.

Verba statuti innuunt, renunciationem fieri debere, vsque dum res adhuc integra et maritus sit soluendo; at incidit quaestio, an non etiam tunc, cum maritus iamiam haut soluendo fuerit, renunciatio cum aliquo effectu fieri possit; et sane credo, intempestiuam quoque renunciationem haut omni utilitate carere, sed vxorem haut vterius obstrictam esse, quam in eam summam aeris alieni, quae ante factam renunciationem contracta fuit.

*Intempestiua renunciatio etiam aliqualem effectum producere potest.*

## §. XXXVI.

Coronidis ac vltimo loco hoc adhuc dico: dubium oriri potest: an vxor diuersae negociationis, quae secandum §. 40. ordinationis sese declarauit, pendente matrimonio ad renunciationem iterum conuolare possit? At considerans, 1) talem vxorem contra proprium suum factum venire, cum renunciando sese velit liberare ab eo, ad quod medi-

*Vxor post declarationem §. 40. ordinat. praescriptam, iterum ad renunciationem conuo-*

*ave non potest.*

diante anteriori declaratione se sua sponte obligauerat, 2) creditoribus iamiam ius aliquod in substantiam istius vxoris quaesitum esse eo ipso scilicet quod vxor declarauit, quod aes alienum constante matrimonio contrahendum, de suo soluere velit, et 3) quod commercio quam pessime consultum esset, si quilibet creditor, ob id fiduciam marito credendi habens, quia vxor saepe memorato modo sese declarauit, necessum habeat, quotiescunque denuo marito quid credere velit, an non forsitan interea vxor istam declarationem iterum reuocauerit. His igitur rationibus adductus, non possum non omnino reputare, talem reuocationem haut valituram esse, praecipue in fauorem commercii et creditorum, vtpote quem sapientissimus noster legislator procul dubio potissimum respexit, dum quoad obligationem vxoris, partem de aquaestu capientis, obseruantiam anteriorem correxit, et hunc iuris articulum brocardico: qui vult habere commodum, etiam habeat incommodum, per ordinationem illam haut satis depraedicandam conformem reddidit.

### §. XXXVII.

*Conclusio.*

Haut pauci adhuc casus supersunt, quos occasione huius materiae tractu temporis in foris nostris occurrere, experturi sumus; et cum anteriorem obseruantiam societatis (vniuersae) leoninae valde iniquam reputauerim, simul

mul ac prima vice hanc animaduerti corrèctio-  
nem, perlegendo nempe statutum nostrum, fi-  
cuti vbique certe acquissimum, ita ante omnia  
quoad hunc passum restaurationi fidei publicae  
maxime proficuum, statim in animum mihi  
met sumsi, vt hocce ius inter coniuges nunc  
valde immutatum differtatione aliqua pro viri-  
bus pertractare velim. Hinc plures casus, et  
in eum finem, et in priuatum meum vsùm col-  
legi; sed hos omnes inserere ratio temporis  
haut permisit; quod adhuc reliquum est, in  
eo consistit, vt reiterem ea, quae iamiam in  
§. 4. praemittenda censui; nam me omnia acu-  
tetigisse, et vbique sensum ordinationis genui-  
num affecutum esse, ipsemet dubito; attamen  
haut pauca forsan dubia, hac mea differtatio-  
ne resoluta esse confido. Certe punctum iuris,  
de quo differui, satis vagum atque practicum  
est; sed nihilominus seueritatem iudiciorum po-  
tius deprecari, quam aliquid de vtilitate hu-  
ius differtationis mihi promittere  
velim.

T A N T V M.



ERRATA,

quae insequuntur, Benevolus Lector benigne emendet.

- Pag. 6. in rubro pro acquestu, lege *acquaeftu*.  
p. 7. §. VII. Lin. 6. pro pronunciandum esse, lege *pronunciandum fit*.  
p. 8. in rubro pro acquestu, lege *acquaeftu*.  
pag. 9. §. VIII. Lin. 2. circumstantium legas circumstantiam.  
p. 10. §. X. lin. 1. illud legas illud.  
p. 12. §. XIII. lin. 2. aelieni legas alieni.  
p. 13. §. XVI. lin. 17. *appellantem* legas *appellantium*,  
- - lin. 18. Wolsteroda legas Wolfsteroda.  
p. 15. §. XVII. lin. 20. adinstar legas ad instar.  
p. 23. §. XXVII. lin. 22. hereedes legas heredes.  
p. 24. §. XXVIII. lin. 13. substantiam legas substantia.

M V T K A T

Marburg, Diss., 1747/48

TA-OL


ULB Halle

3

004 791 290







B.I.G.

Farbkarte #13



QVATENVS  
HASSIA NOSTRA<sup>8</sup>  
XXXVIII. ET XXXX. ORDINAT  
RRIMAE DE AN. clō lo ccxxxv.

ACQVAESTVS  
RENTVR, <sup>1747/4.</sup>  
ET

VS VICE VERSA  
TIONEM AERIS  
BSTRICTAE SINT.

AGNIFICENTISSIMO,  
T CELSISSIMO PRINCIPE  
DOMINO

FRIDERICO,  
NDGRAVIO, RELIQA.

TIONE SVA INAVGVRALI  
DISQVIRIT

ET  
LTORVM ORDINE PERMITTENTE,  
PRO  
RIVILEGHS DOCTORALIBV  
E IVRE CAPESSENDIS,  
ARI clō lo ccxxxvii.

LICO EXAMINI  
DEMIAE MARBVRGENSIS  
SVBMITTIT  
ACOBVS FRANCKE  
S ILLVSTR. REGIM. HASSO-CASELLANJ.

MARBVRGI  
INA MÜLLERIANA.

28.